



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

6. In tribus situm est adiutorium gratiæ Christi, & primo de remissione
peccatorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

Dicite plectentes apices mortisque ministros
Hoc expresse operis, quod gratia vivificatrix.

ECce habes statum sub lege. Ex quibus li-
quet ex duobus capitibus legem fuisse nec-
cessariam, uno, ut rubiginem ignorantiae velut
lima dederet; altera, ut contra contractam &
invalescentem peccandi consuetudinem ho-
mo legis exhortatione penaque muniretur.
In c. 3. Galat. n. 3. Vtrumque breviter tangit Pelagius: Lex, in-
quit, propterea data est ut nō transgredi vel
cogerit vel doceret, usque dum Christus veniret. Sic
enim exponit illud Apolloli; Propter transgressio-
nem posita est (lex) donec veniret semen eius pro-
miserat.

Adiiciunt denique, cum propter nimiam
humani generis corruptionem, quae peccandi
consuetudine inoleverat, lex non sufficeret am-
plius ad justificandum, ad implendam manda-
torum iustitiam, Christus tanquam tanti mali

Lib. de grat. Christi. c. 26. medicus venit qui homines adventus sui medi-
cina sanaret; Pelagius: Sed postea quia in nimia pec-
candi consuetudo praevaluit, cui sananda lex parum
valuit, Christus venit, & tanquam verbo despara-
tissimo, non per discipulos sed per seipsum medicus ipse
subvenit. Et in Commentarijs, Christum venis-
se docet ut iustificatio legis impleteretur in no-
bis, nempe: ut quod in illa (Iudaeis) repugnante
et in illi consuetudine implere non potuit, in nobis saltem
impleatur, qui exemplo Christi mortificabimus

In c. 8. Rom. n. 5. carnem. Et ideo qui hoc tempore ex operibus
legis sunt, sub maledicto esse decernit, quia ita
praevaluit consuetudo peccandi, ut nemo iam perficiat

In c. 4. p. 3. legem. Atque isto sensu docet, in plenitudine tem-
poris missum esse Filium Dei, quia, inquit, iam
impletam erat tempus quando legem per malam con-
suetudinem nemo poterat custodire. Nam olim ipso

In c. 3. Epist. ad Tim. n. 2. delirante, hoc homines poterant: sine fide autem
Christi ut alibi garrit, sacra litterae, legis & Scri-
pturarum, iam non sufficiunt ad salutem. Hinc Pe-
lagius apud Augustinum hominem sub lege
positum, qui etiam bonum appeteret voluntate,
usu tamen praecipitaretur in malum, vult ab

A Apostolo induci clamantem, quis me libera-
bit à corpore mortis huius? Quem, inquit, ab hoc
consuetudinis malo dicit liberandum esse per Christum
qui credentibus sibi primo omnia per baptismum in pec-
cata dimittit: Deinde imitatione sui ad perfectam in-
citat sanctitatem, & vitiorum consuetudinem virtu-
tum vincit exemplo. Hi sunt igitur tres illi di-
versi ac celebres status, sub quibus varijs tem-
poribus homines iuste vixisse contendunt, quos
breviter omnes indicat & eorum totam senten-
tiam explicat quodam loco Augusti: *Lib. 1. ad Bonif. c. 21.* *licet vos non
valis munici gratia Christi et eadem gratia IESV
Christi salvi facti credantur antiqvis, sed distribu-
ta tempora secundum Pelagium, in cuius libro hoc legi-
tur, & ante legem dicitur salvos factos esse per natu-
ram, deinde per legem, postremo per Christum, quasi
hominibus duorum superiorum temporum ante eum
scilicet & in lege sanguis Christi non fuit necessa-
rius.* Qua in re quamvis verbis aliam doctri-
nam ab illa prima proferre videantur, dum tan-
dem Christi gratiam videntur agnoscere, re
tamen vera si bene eorum doctrina ponderetur,
unum idemque per ambages docent. Eo
quippe tendunt omnia, ut per naturam & libe-
rum arbitrium, sine ullo verae Christianae aequae
gratiae adiutorio iustitia statuatur. Nam sive
dicant per legem esse iustitiam, quam veluti
viam demonstratam arbitrij sui viribus homo
ambulet; sive dicant ad hoc hominem per
Christi doctrinam magis exactae viae pericula,
anfractus, ac diverticula declarantem, adiuvari,
nihil aliud profecto dicunt quam si aperte
profiterentur per naturam, hoc est naturales li-
beri arbitrij vires, quicquid faciendum cavend-
umque didicerit, facientis atque caventis esse
iustitiam. Quod tunc constat si plenus, cum
causas effectusque, adventus Christi totamque na-
turam gratiae quam hominibus per incarnatio-
nem suam attulit, ex doctrina Pelagiana pro-
tulerimus.

In tribus situm est adiutorium gratiae Christi, & primò,
de remissione peccatorum.

CAPVT SEXTVM.

TRIA sunt adiutoria propter quae
peccatoribus afferenda Christum venis-
se, perfectamque vitam ac mortem
hominibus exhibuisse profitentur: Re-
missionem peccatorum, Doctrinam Evangelicam, &
virtutum exemplum. Quod ad primum attinet, fa-
tentur Pelagiani, divinitus esse expianda peccata
commissa, & pro eis Dominum exorandum esse, propter
veniam scilicet promerendam: Quia id quod factum
est, facere in seipsum, multum ab ipso (Pelagio) lau-
data potentia natura & voluntas hominis non potest,
Lib. de grat. c. 73. inquit Augustinus. Et alibi: Dicunt etiam gra-
tiam Dei, quae data est per fidem IESV Christi,
quae neque lex est neque natura, ad hoc tantum vale-
re ut peccata praeterita dimittantur, non ut futura
vitantur, vel repugnantia superentur. Hoc autem
secundum ea quae diximus cum illa moderatio-

A ne intelligunt, ut ista Christi gratia sit necessa-
ria non omnibus, sed ijs tantum qui peccave-
runt. Posse enim hominem ita perfecte vivere, ut
nulla peccati cuiusquam remissione indigeat. Ad
hoc igitur Christum venisse docent, ut peccata
quae effreni legis transgressione commissa fuerant,
non sicuti lex comminando, ulciscendoque pun-
niret, sed credentibus liberalissime condonaret,
& male vivendi consuetudinem baptismi sui
gratia tolleret. Luculente declarat hoc Iulianus
cū Augustino disputans, de illo Apostoli Pauli
loco, *quis me liberabit de corpore mortis huius.* Hoc
enim Apostolum retulisse docet; ad consuetudi-
nem delinquendi, à quo reatu post incarnationem Chri-
sti per Testamentum novum quisque liberatur. Quam
Christi gratiam accuratius explicando subiicit.
Lib. 1. epist. imperf. cont. Iul. f. 82a. *Ostendit unicum esse in illa tempestate subsidium,
si cre-*



si crederent Christo, qui sic indicabat cautionem de futuro, ut veniam condonaret peccatis, nec insistebat legi in tentatione supplicij, sed concurrentes liberalissimo gremio confovebat, non exanimans terrore depressos, sed reparans benignitate correctos. Vbi per veniam condonacionem perque benignitatem qua gremio liberalissimo foventur, nihil intelligit aliud, nisi remissionem qua per fidem peccatis peccatis datur. Quod multo clarius paulo post explanat ubi differentiam Christi & legis in Synopsim contrahit: *Commendans ergo, inquit, hanc gratiam iudeis, quia lex punit scelerios, nec habet illam efficientiam misericordiae quam Baptisma: in quo confessione brevi, actum delicta purgantur, ostendit debere illos currere ad Christum, implorare operam huius indulgentiae & advertere quod lex morum vulneribus comminetur, gratia vero efficaciter celeriterque medatur. Ecce discrimen legis & gratiae Christi, quatenus remissionem peccatorum complectitur, quod ante ipsum eodem ferè modo Pelagius expresserat: Non ex lege beneficium, sed ex fide, lex enim non donat peccata sed damnat. De qua remissionis gratia in Pelagianorum scriptis saepissime fit mentio, ut non sit operæ pretium pluribus testimonijs lectorem onerare.*

Fol. 84

In c. 4 ad Rom. n. 25

Lib. 1. op. imperf. cont. Jul. f. 82
Lib. 1. op. imperf. cont. Jul. f. 85

Hanc itaq; gratiam illam liberatricem esse volunt, quam suppliciter implorat Apostolus & cum Apostolo tota Christi Ecclesia ut liberetur à corpore mortis huius. Aperte enim dicit Iulianus Apostolum illa verba referre ad consuetudinem delinquendi, à quo reatu quisque liberatur. Et alio in loco: *Quis me liberabit à corpore mortis huius, id est, inquit, quis me liberabit à reatu peccatorum meorum qua commisi cum vivere potuissem, qua legis severitas non donat, sed ulciscitur. Idemque inculcant omnes Pelagiani cum suo authore Pelagio ut supra fuis declaravimus. Neque enim intelligunt*

A hominem per aliquam gratiam à peccato illo quod in membris habitat, hoc est à concupiscentia sua liberari, sicut in Catholica doctrina intelligitur, ne scilicet voluntati suae peccatum istud & omnis iniustitia dominetur: quia hoc volunt per liberum hominis arbitrium fieri, utpote qui sufficit ingenio sibi moribus dare leges ut Iulianus loquitur, & initio libri primi demonstratum est.

Cum ergo remissio non futura peccata, sed praeiterita respiciat, à quorum ultione homo per veniam liberatur, nullum quoque homini ad cavenda peccata superandis; peccatorum tentationes praebet auxiliū, sed relinquitur homo sibi ut si quid mali non facit vel boni facit, ut iustus sit, hoc à solo arbitrio eius expectandum sit. Hoc indicat aperte Iulianus: *Peccatum, inquit, dominabatur vobis cum reatum impendebat ultio, postea autem quam gratia beneficia consecuti estis, & depositi reatum ponderibus respiratis, ingenio pudore commoti debetis gratiam referre medicanti. Nempe, per vos ipsos naturamque, ut Pelagius loquitur, in melius per Christum instauratam, bonum in posterum operando. Quod manifestissimis verbis interpretem agens Iuliani Augustinus ostendit: Tu vestro more (subijcit) qui de vestro descendit errore, non agnosces gratiam nisi in dimissione peccatorum, ut iam de cetero per liberum arbitrium ipse homo seipsum fabricet iustum. Et in sermonibus, cum bene operandi gratiam inculcasset, Pelagium, Pelagianumve quempiam respondentem introducit: Sed scis fecit mihi quod in baptismo accipi remissionem omnium peccatorum: Nempe ad operandum deinceps mea libertate ac potestate iustitiam. Ex quibus profecto constat etiam remissio peccatorum vera Christi gratia sit, si tamen alia nullo libero superaddatur arbitrio perinde esse ac si per nudas naturae vires perfectio iustitiae assereretur.*

Lib. 1. op. imperf. cont. Jul. f. 49

Lib. 2. op. imperf. cont. Jul. f. 49

Lib. 2. op. imperf. cont. Jul. f. 49

Lib. 2. op. imperf. cont. Jul. f. 49

Lib. 2. op. imperf. cont. Jul. f. 49

Remissio peccati propriè gratia per fidem Christi data: Et tribus modis juxta Pelagianos gratuita. Pauca de differentia iustitiae hominis, factorum ex lege; & iustitiae fidei seu ex fide.

CAPVT SEPTIMUM.

Hæc autem remissio fidei seu ex fide peccatorum, est propria illa gratia juxta Pelagianos, quam toties Apostolus praedicat gratis per Iesum Christum hoc est, per Christi fidem dari. Declarant hoc allegata superius divi Augustini verba: *Dicunt etiam gratiam Christi, quae data est per Iesum Christum, quae neque lex est, neque natura, ad hoc tantum valere ut peccata praeiterita dimittantur. Quod autem gratuita sit, saepissime in suis commentarijs inculcat Pelagius. Gratia, inquit, plus quam abundavit, ut non solum à morte redemptus, gratis peccata dimittit, sed etiam &c. Et in Epistolam ad Timotheum propositum Dei vocat quo proposuit nos gratis salvari per Christum,*

Lib. de grat. & lib. arb. c. 13.

In c. 1 ad Ephes.

In c. 1. n. 20

A nempe per gratuitam veniam, quae per fidem datur. Quam veniam ideo in Epistola prima sine meritis tribu dicit. Unde eandem remissionem etiam Dei misericordiam vocant, quae nobis necessaria sit, non ut non peccemus, sed quia peccavimus. Et sic ubicumque Pelagiani gratuitam Dei commendant gratiam, quae credentibus sive per fidem Christi datur, non nisi illam remissionem vel certe simul doctrinam Evangelicam intelligunt. Ex quibus certissimum esse debet remissionem non tantum peccati, sed etiam sub nomine & ratione gratiae Pelagianos fuisse confessos. Quod ex illo quoque Augustini loco perspicuum est, ubi tradit Pelagianos sic dicere, hanc esse solam non secundum merita nostra gratiam

In c. 1. n. 31

Lib. de nat. & grat. cont.

Lib. de grat. & lib. arb. c. 6. vide & c. 13. supra

Epist. 105